

Johannes gre:
9 sumis, ad
dignitat per:
umit duplas.

uertentem legatis, se indigno exceptit honore, illumq; non
tam papam quam apostatam constituens, legatos impe-
ratorios sub custodia Romæ retinuit. Hic ergo Johannes
natione Græcus, conditione seruus, astu callidissimus,
Imperatorem augustum piæ memoriæ secundum otto-
nem, sub paupere adiens habitu, ob interuentum dilectæ
suae contestalis Theophanes imperatricis augustæ, regia
primum est alitus stipe, dehinc procurrente tempore uul-
pina, qua nimium callebat, uersutia, præfatum eotenus
circumuenit augustum, ut pro loco et tempore satis cle-
menti ab eo gratia habitus, pene inter primos usque ad de-
functionem suam clarus habetur. Post dormitationem
uerò secundi ottonis Augusti, regnante iam filio suo
tertio uidelicet Ottone, quem ab ipso matris uteros, diui-
na subsequuta miseratione Romano sublimauit imperio,
præfatus Johannes, ingenita sibi eò securius calluit uersu-
tia, quò regis infantia, et primatum illius permittebatur
incuria. Ad hæc defuncto Placentina ecclesia episcopo, uir
bonæ indolis illi subeligitur, quo indigno erecto, præfa-
tus Johannes non pastor sed lupus, eandem non regen-
darn, sed deuastandam suscepit ecclesiam: quam cum ali-
quot annis teneret, auaritiæ diabolico inebriatus ueneno
in tantum se eleuauit super se, ut ipsam Romæ beati
Petri apostoli sedem, ut prædictum est, Antichristi mem-
brum uerè effectus, fornicando potius caccaret, quam
uenerando incederet.

DCCCCXCVIII.

Ottone Xpeditio
in Italiam altera.

His auditis dominus imperator secundam profectiorem
parauit in Italiam. Cui uenerabilis papa Gregorius Papiæ
obuiam ueniens, dum ei pessima Johannis et Crescentij
gesta narraffet, diuino commotus zelo commotus, quan-
totius una cum apostolico properat Romam. Quod au.